



## S E C T I O II.

IPSA SOCINIANORVM PLACITA EX-  
HIBENS PER QVAE SALVATOR DEVS  
DECLARATVR.

## §. I.

**L**abefactata est impia Socinianorum oratio: *Praeter naturam Christi humanam non agnoscenda est in eo etiam diuina.* Non opus erat, illam tantum inuidia eneruare. Argumenta adhiberi poterant, quibus potissimum euerteretur. Nam dialectices ignoratione atque contortis fallacibusque sophismatibus, vidistis, modo a Socinianis diuinam Christi causam paullulum vexari. Id ipsos enim, vnicum est, quod a diuinitate remoratur: illam non solum rationi sanae, verum diuinis etiam litteris repugnare. (§. III. Sect. I.) Quod vero quum nequaquam logice, id est, vere, Sociniani probauere, sed omnia, sicut hoc antecedens docet tractatio, eorum argumenta lubrica et umbra tantum nominanda, quibus ipsis placuerit olim, suam illam sententiam, inimicam nobis, excusare: ex ipsis nunc Socinianorum adfertis consequens est, illos, quemadmodum plerumque fieri in hisce atque talibus negotiis audacibus, atque imprudentissimis solet, sic etiam, quum dubiam reddere diuinam Christi naturam impie uoluerunt, ab omni fundamento relictos denique adparere. Multum sane, quod demonstraui, est, Christi diuinitatem ab  
hosti-